



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad  
Annum 1746

**Luxemburgi, 1752**

CXXXVI. Consecratio Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum  
Harlemensem damnatur; ac suspensionis, & excommunicationis sententia  
in ipsum edicatur. 28. Aug.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)

Class. de  
perpetua Li-  
terarum fir-  
mitate.

illos ex Collegis suis cogentur amittere, ex quorum permanentia majorem utilitatem atque splendorem consecutus erat ipsorum Ordo, a quo fides multos annos hanc in spem educati & aliti fuerant, ac religiosis virtutibus, optimisque disciplinis imbuti.

§. 30. Quocirca easdem presentes Literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod Canonici Regulares praedicti, aut quilibet alii etiam speciali nota & expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati & auditi non fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, aut quodcumque aliud juris, facti, vel gratiae remedium impetrari posse; sed easdem praesentes semper firmas, validas, & efficaces esse & fore, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaque Sedis Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate & potestate fungentes, & quomodocumque funguros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiti debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 31. Non obstantibus, quatenus opus sit, Innocentii III. Praedecessoris praedicti dispositione in praedicto Capitulo, quod Dei timorem, necnon, de jure quae sit non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariae Apostolicae Regulis, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, Ordinis quoque Canonico-regularium, & utriusque eorum Congregationis praedictae, etiam Jurejuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Ordinationibus Capitularibus, usibus, sicut etiam quantumvis inveteratis, & quacumque ultimi status existentia, aliisque in contrariam praemissorum quomodolibet facientibus vel extantibus, privilegiis quoque, indultis, & licentis Apostolicis utriusque vel alterutri Congregationum praedictarum, earumque Monasteriis, Superioribus, & personis in genere, vel in specie quomodolibet forsan concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, Causas, & occasiones praesentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, specialiter, expressae, ac plenissime & amplissime motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 32. Ceterum quia difficile foret, ipsas praesentes Nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum transumptis, sive exemplis; etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem

ubique fides habeatur, tam in iudicio, quam extra, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 33. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrae Constitutionis, definitionis, declarationis, statutorum, decretorum, atque Ordinationum infringere, vel eidem ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLV. septimo Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus.  
F. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 23. ejusdem Mensis, & Anni.

Consecratio Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnatur; ac suspensionis & excommunicationis sententia in ipsum edicuntur.

Dilectis Filiis Universis Catholicis in Foderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Delecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TAM praeclearam quidem de egregia virtute & constantia vestra rebus ipsis semper probata & Apostolicis etiam laudibus commendata, gerimus opinionem, ut plane persuasum habeamus, Vos nullis ad procul amandandam omnem execrandi schismatis suam, & ad Catholicam Fidem Orthodoxamque Religionem palam ubique proficendam tuendamque, Apostolicae nostrae caritatis, sollicitudinis, exhortationisque novis stimulis indigere. Verum pro demandata infirmitati nostrae a Supremo Pastorum Principe aeternoque Animarum nostrarum Judice Jesu Christo universalis Ecclesiae suae procuracione obstricti, facere non possumus, quin Vos saepe de sacrilega perditorum hominum temeritate & audacia edoceamus, atque infimal admoneamus, ut quancumque tenuissimam suspensionem per insidias veteratorum Schismatis patronorum cuipiam vestrum de eorum reconciliata Nobiscum gratia & communione forsitan injiciendam ab animis vestris penitus removeatis.

§. 1. Postquam enim per alias nostras in simili forma Brevis Literas die 26. Mensis Junii proxime elapsi currentis anni MDCCXLV. ad Vos datas, typis etiam impressas, & publici juris factas, Electionem Joannis Van-Stiphout Amstelodami Pseudo-Pastoris in Harlemensem, Hieronymo de Boch e vivis sublato, Pseudo-Episcopum, a Petro Joanne Meyndarts Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectensi, & ab ejus fictis Canonicis factam, assertique Episcopatus Harlemensis erectionem nullam, inane, nefariam, illegitimam ac sacrilegam declaravimus, rescidimus, delevimus & abrogavimus; nec ad ipsius Petri Joannis de sua detestabili Pseudo-Episcopi Harlemensis designatione, petitaque a Nobis patrati criminis confirmatione, scriptam Epistolam respondimus; binas nuper Nobis inscriptas & clanculum redditas accepimus Epistolas; alteram quidem ipsius Petri Joannis Meyndarts die 30. Mensis Julii, alteram vero ejusdem Joannis Van-Stiphout die 29. dicti Mensis Julii proxime praeteriti hujus anni datas. Hic autem de sua inani designatione & sacrilega Consecratione praescribit; ille vero de nulla a Nobis data responsione primum conqueritur, deinde de eadem abs se facta Consecratione significat, tum causam obtendit, qua adductus, ad tantum scelus paulo citius, demto ternario Episcoporum numero;

Sanctio po-  
nalis.

Dat. die 9.  
Julii 1745.

CXXXVI.

Sollicitudo  
Pontificis ne  
Catholici  
contagione  
Schismatis  
attingantur.

Electio Pse-  
do-Episcopi  
nulla.

Ejusdem Co-  
secratio, &  
subdola  
Schismatico-  
rum artes.

perfi-

Derogatio-  
nes opportu-  
nae.

De exem-  
plorum au-  
thoritate.

perficiendum devenit, diuturnum scilicet morbum, in quem inciderat; ex quo liberatus, instantissimis plurimorum suorum Symmystrarum querimoniis satisfacere coactus fuit, ne Episcopalis successione ordo istuc jamdudum interruptus, & ab Apostolica hac Sancta Sede nunquam post primam interruptionem agnitus, imo semper explosus, in presentia morte sua abrumperetur. Quamplurimis demum fucatisque verbis uterque suam erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem Nosque ipsos observantiam obedientiamque protestantes, incautus illudere videntur.

Pontifex iterum rejicit electionem, Consecrationem damnat, Cōsecratum suspendit.

§. 2. Nos itaque Literas hujusmodi, quæ callida arte conscriptæ, præclaram quidem obsequii reverentiæque speciem præferunt, re ipsa vero latentes suffusi veneni dolos continent, posthabentes ac penitus rejicientes, pro debito nostræ servitutis supremæque potestatis officio, primum designationem electionemque ipsius Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem, cum extincti Episcopatus erectione, iterum inanem ac nullam fuisse, esse, ac fore, tenore presentium Literarum nostrarum, Apostolica auctoritate decernimus & declaramus: quemadmodum, tenore & auctoritate paribus, Consecrationem dicti Joannis Van-Stiphout, minime assistentibus ex præscripto Sacrorum Canonum duobus aliis Episcopis, nullaque Apostolica dispensatione obtenta, a memorato Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectino toties omnium Ecclesiasticarum censurarum fulminibus percusso, & ab omni exercitio Episcopalis Jurisdictionis & Ordinis suspenso, contra suprema Apostolica hujus Sanctæ Sedis mandata, factam fuisse, esse, ac fore illicitam, nefariam, sacrilegam, & execrandam, itidem decernimus & declaramus; ac proinde ipsum temere nulloque jure Electum Joannem Van-Stiphout omni Ecclesiastica & spirituali jurisdictione pro animarum regimine carere; atque illicite consecratum, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

Tam ab exercitio jurisdictionis, quam Ordinis.

§. 3. Mandamus propterea districteque interdiximus memorato Joanni Van-Stiphout, sub pena Excommunicationis ipso facto sine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad Animarum curam & Sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis prætextu, constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus & declaramus, omnes & singulas prædictorum Officiorum deputaciones pro Animarum regimine quocumque nomine factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse, ac nullius roboris & momenti. Rursus eidem Joanni Van-Stiphout præcipimus & inhibemus, ne, sub simili Excommunicationis pena, audeat illicite Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, aut quoquo pacto Ordinem Episcopalem, a quo suspensus est, exercere.

Ejus communionem vitandam denunciat.

§. 4. Vobis autem, Dilecti Filii, graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Joannem Van-Stiphout pro vero Episcopo Harlemensi habeatis & agnoscat, neve cum eodem ullo pacto, præsertim in Divinis, communicetis; aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperam & inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim, qui Ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constructum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit.

Ordinationes illegitimas fore declarat.

Adhortatio.

§. 5. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiæ fideique vestræ officia respondeant. Nullum enim jucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, Vos caute ambulantes, non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi, & domum ædificare supra firmam petram. Ac Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam cœlestis præ-

sidi pignus, atque adversus potestates tenebrarum arma & scutum esse optamus, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cajetanus Amaus.

Publicat. eodem die, mense, & Anno.

Decreta quædam à Cardinali Patriarcha Lisbonensi edita collaudantur & confirmantur.

Dat. die 28. Aug. 1745.

CXXXVII.

Dilecto Filio Nostro Thomæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali de Almeyda nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SINGULAREM voluptatem sensimus, ea perlegendes, quæ graviter, ac sapienter a Te constituta sunt ac die 12. Martii Anno MDCCXLIII, evulgata, ut omnibus innotescerent: Cognovimus pariter ardentissimum studium, quo tum Regulares, tum Sæculares alioque tuæ Pastoralis Curæ commendatos vehementer excitas, ut iisdem mandatis diligenter obtemperent.

Collaudantur Cardin. Patriar. Decreta.

§. 1. Primo loco præcipis, ut Vespertina Officia, quæ feriâ V. Majoris Hebdomadæ fieri consueverunt in Ecclesiis Sæcularium, ac Regularium, ad certam horam solum protrahantur; & ipsarum Fores ad mediam horam post Occasum Solis ocludantur; nec manè ante pateant, quàm solis Ortus illucescat: Siquidem cognitum, perspectumque habebas ad honestos mores labefactandos causam præberi, cum magna frequentia Virorum, ac Mulierum nocturno tempore in ea templa conveniret; quam sanè veterem consuetudinem ideo Prædecessores tui nunquam improbarunt, quod ii nocturni Fidelium conventus tunc temporis pietatem, ac Religionem solum præferebant.

Officia Hebdom. Maj. de die celebrari.

§. 2. Secundo loco, ne spatio illius noctis Divina Eucharistia Cultu debito careret, sapienter indixisti Viris Ecclesiasticis, eorum Ministris, & Fratribus Sodalitatum, quæ a Venerabili Eucharistia Sacramento nuncupantur, ut oclusis Templi foribus, alternatim Christo Domino piè religiosèque obsequantur, qui sub panis specie continetur.

Adorationem SS. Sacramenti de nocte continuari per certas personas.

§. 3. Tertio loco, cum Passio Salvatoris nostri inremptivis horis a Concionatoribus celebrari soleret, ideo pro tua singulari prudentia decernis, ut mane Feriæ VI. Majoris Hebdomadæ hi sermones habeantur, statim ac Evangelium, quod eo die canitur in solemnibus Officiis, absolutum fuerit; ubi verò consuetudo obtinuit, ut nocte ejusdem Feriæ VI. verba faciant Concionatores, alia hora post meridiem ejus diei feligatur, ita tamen, ut Fores Ecclesiæ designato antea tempore obserari queant.

Conciones item horis diurnis haberi.

§. 4. Quarto loco, cum illi, qui Ecclesiis adibant Feriæ V. Majoris Hebdomadæ (quæ Sancta vulgò appellatur) peculiare quosdam cibos secum deferrent, quibus deinde etiam in ipsis Ecclesiis uterentur, ita ut cultum Dei Templo consentaneum, & legem jejunii impudenter violarent; cum, inquam, hanc corruptelam sine magno animi tui mœrore pati ac dissimulare minimè posses, opportuna remedia attulisti, gravissimis sententiis, ac pœnis in eos promulgatis, qui cibos ejusmodi per illos dies venderent, vel ipsos manducare etiam in sacris Ædibus non dubitarent.

Comestiones ab Ecclesiis eliminari.